



Georgius apud Bruggenses in Flandria natus fuit anno circiter 1515. Is sese in omni genere disciplinarum exercuit, atq; in primis eloquentiæ studium magna laude excoluit. Vnde orationem Panegyricam in laudem urbis Bruggarum & studiorum humanitatis ibi excitatis scripsit & edidit, præterea tabulas breues & expeditas in præceptiones Rhetoricas. Descripsit etiam uirorum quorūdam illustriū uitas, qui ante Procām & cum Pompeio uixerunt, quæ simul cum Plinij libello de uiris illustribus excusa sunt Colonia 1549. Postea quoq; maiora aggressus operam Theologiæ dedit, atq; Patrum lectioni diligenter incubuit. Itaq;

ob excellens ingenium factum, ut non modò præstantissimi Theologi nomen adeptus, uerū etiam Cæsari gratissimus fuerit. Vnde etiam non ita pridem ab eodem petijt, ut suam sententiam de Augustana Protestantium confessione declararet, atq; quæ sentiat liberè proferret. Is Georgius adhuc super est, atq; ob uirtutes ab omnibus cognoscitur. Anon.